



**I**ohannes ex Episcopatu Patauino oriundus, in hanc lucem uenit anno 1455. Is cum ingenio ualere, à pueris operã literis dedit, & primis rudimentis perceptis sese ad Ingolstadianam academiã cõtulit. In ea philosophiẽ usq; ad supremam palmam operam dedit, & magnam sibi eruditionem comparauit, ita ut etiam artium Magister crearetur. Is postea in monasterio Schyrensi Benedictinorum ordinẽ suscepit, atq; literis & pietati perpetuò inherere statuit. Erat monasterium illud olim 1000 in alpestri Bauaria ab Othone Schyrensi eiusq; uxore Haziga Arragonum regis filia fundatum, & postea ab eorum filijs Bernharde & Othone principi-

bus Schyrensibus liberaliter dotatum, & in antiquam Schyrensem arcem translatum. In ingressu huius monasterij domus Capitularis est altus de terra eleuatus tumulus, sub quo centum & uiginti utriusq; sexus comitum & principum Schyrensiũ corpora sita, & in subterranea crypta quasi ordine collocata dicuntur. Nam hoc monasterium illustri ea familia suã sepulturae locum delegerant.